



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

8. An aliquando licitum sit aperire literas alienas? Et an si quis literas ad se missas in publicum laceratas abiiciat, possit alius sine peccato, collectis literarum fragmentis legere? Et in tali ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

Ita Granadus ubi *supr. sect. 6. m. 5 6.* qui citat Sanchez, Vasquez, Azorium, & alios.

## RESOL. V.

*An maledictio, seu alicuius mali imprecatio sit semper peccatum mortale?* Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 13.

§. 1. **H**ic casus passim occurrit, & nimium Confessarios scrupulosos argit, ideo ponam hic verba Ioannis Azorij *tom. 3. lib. 13. cap. 10.* ubi sic ait. An maledictio sit peccatum mortale? Respondeo, ad hoc ut sit peccatum mortale requiritur, ut ipsa imprecatio mali sit ex animo. Secundò, ut sit ex plena deliberatione animi. Tertiò, ut malum, quod imprecatur alteri, sit grave, quare si aliquid istorum desit, erit veniale tantum peccatum. Vnde non semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis; vel in rusticis mulionibusque maledicentibus sibi, vel iuvenis alijve est peccatum mortale, quia frequenter ex ira quadam, vel ex depravata consuetudine maledicunt, non animo imprecantes malum. Item frequenter in his est imperfecta animi deliberatio: Item levis quadam negligentia, vel inconsideratio in maledicendo. Ita Azorius, & ego.

## RESOL. VI.

*An trisari de bono alterius, quia tibi proprium bonum diminuit sit peccatum mortale invidia ex genere suo? Et an avaritia, & vana gloria non sint semper peccata mortalia, nisi aliquando aliqua circumstantia vestiantur?* Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 85.

§. 1. **A**ffirmatiùe respondet Coninch *de act. supernat. disp. 30. dub. 2. n. 20.* Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 13. num. 2.* Suarez *de charitate. disp. 6. sect. 4. n. 4.* Reginald. *in praxi. tom. 2. lib. 7. n. 129.* & alij.

2. Verùm Lorca *in 2. 2. D. Thomae, q. 36. in addit. ad art. 3.* affirmat (attendente Lectore) invidiam solum esse mortale, cum ita vehementer bono proximi invidet, ut ex illo affectu monearis ad iniuste remouendum proximi bonum, & vana gloria, qua non sunt peccata mortalia, nisi aliqua circumstantia mortali vestiantur. Et probari potest, quia dolere de bono proximi, quatenus tuum bonum diminuit, non est absolute de bono proximi dolere, sed dolere de illo, quatenus hunc effectum causet, & licet non causet media volitione iniuriola, negari tamen non potest esse tibi molestum, & iniucundum, siquidem tollit opinionem, & honorem singularem antea te possessum. Ergo talis tristitia, & dolor non videtur ordinatus, ut peccatum mortale constituat. Adde, si doleas de bono alterius, quia inde proximus occasionem sumit te vexandi, non peccas, quia doles, præcipue de tuo incommodo. Ergo idem erit cum doles, quatenus ex se causat tibi incommodum; nam esse causam per se, vel per accidens parum videtur referre.

At his non obstantibus non est recedendum à prima sententia, quam etiam tuetur Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 40. diff. 20. n. 1.*

## RESOL. VII.

*An si quis narravit alicui amico iniuriam sibi ab aliquo secreto illatam, ad leniendum dolorem peccet mortaliter?*

Et an peccet mortaliter, si persona secreto graviter iniuriata non valens se à dolore cohibere in quarimonias

provocet publicas, si iniurias infametur? Ex part. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 32.

§. 1. **N**egatiùe respondeo, nimis enim durum est cogatur acceptas iniurias solum ferre, nec possit eas amoco communicare, non animo detrahendi, sed ad suam commoditatem, & ut eas lenius ferat. Ita Sylvestrius *2. 2. D. Thomae, q. 62. art. 2. queritur 15.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 12. n. 72.* Navarra *lib. 2. cap. 4. n. 345.* Molina *tr. 4. disp. 29. n. 5.* Layman *in Theol. moral. lib. 3. sect. 1. tr. 1. part. 2. c. 3. n. 6.* Tannerus *in 2. 2. D. Thomae, disp. 4. lib. 3. dub. 7. n. 145.* & alij Doctores communiter. Sed plus addit Ioan. de la Cruz *in direct. confess. part. 3. q. 2. art. 2. dub. 3. concl. 1.* ubi sic asserit. Si persona secreto graviter iniuriata, non valens se à dolore cohibere, in quarimonias prorupit publicas, non illico de culpa mortali damnatur, si iniurias infametur; durum enim videtur sic afflictum animum cohibere, ne in quarimonias prorumpat, cum hoc naturalissimum sit. Ita ille, qui citat etiam pro hac sententia Ludovicum Lopez.

## RESOL. VIII.

*An aliquando licitum sit aperire literas alterius? Et an si quis literas ad se missas in publicum laceratas abiciat, possit alius sine peccato, collectis literarum fragmentis, legere?*

Et in tali casu ille, qui literas legit, an teneatur non manifestare secretum aliquod in ipsis contentum, si in damnum alicuius cederet? Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 15.

§. 1. **R**espondeo affirmatiùe, etiam invito eo ad quem mittuntur; puta si id fiat iure belli, in statæ defensionis contra inimicum infidias molestem, vel si Prælati paterfamilias, & c. suspicentur, aliquid mali patrandi in literis contineri, vel si Religionis statutum, aut consuetudo licentiam aperienti literas Regularium Prælati tribuat. Vide Peirinum de *Regulis. 1. q. 2. c. 3. §. 13. per totum.* & alios penes ipsum.

2. Sed difficultas est, quæ potest sæpius accedere, ut Venetiis testatur Sylvester accidit, videlicet an si aliquis literas ad se missas, in publicum laceratas abiciat, possit quis sine peccato, collectis literarum fragmentis, eas legere? Negatiùe respondet Rebellius *part. 1. lib. 9. q. 7. n. 9.* Sed mihi placet opinio contraria, quam cum Archidiacono tener Sylvest. *verb. empirio, q. 17.* ubi sic ait. Si quis literas in publicum locum obicit, legit, solum ut sciat, curiositas est, si ut sibi provident, commodique suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est. Ita Sylvester, quem citat, & sequitur Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 3. part. 1. c. 4. n. 4.* ubi etiam bene aduertit ex charitate in tali casu eum, qui illas literas legit teneri non manifestare aliquod secretum in ipsis contentum, si in damnum alicuius cederet.

## RESOL. IX.

*An comedere carnes crudas animalium absque necessitate sit peccatum mortale?* Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 84.

§. 1. **A**ffirmatiùe respondet Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 33. ques. 4.* ubi sic ait: Illa quoque, quæ in communem humanam vitam usum veniunt, non quovis modo circa peccatum comeduntur. Quis enim liberum à vitio & culpa putet illum hominem, qui absque vlla necessitatis causa, crudas & adhuc sanguine imbutas animantium carnes, canum, luporumve, aut corvorum more devorat? Ita ille: cui adde Victoriam *relect. ad temperam. n. 5.* & alios.

2. Sed secluso damno notabili salutis ego non cōde-